

186

ria per diffinitionem positionis exponibilis in principio huius tractatus exposita. Secundo sic Ista est de comparatio fornicario est melior adulterio et tamen non exponitur copulatiue per tres exponentes quarum prima affirmat positum de re excedente et secunda eundem de excessa et tertia affirmat excessum de re excedente respectu illius rei exesse. quia tunc sic exponeretur fornicatio est bona et adulterium est bonum et fornicatio est magis bona quam adulterium quod non potest fieri quia exposita est vera et exponentes false. Tertio sic ista est de superlatiuo leo est fortissimus lincum et tamen non exponitur secundum modum dictum in quarto notabili ergo ipse non est bene positus. Quarto sic ista est de superlatiuo affirmatiue posito rosa est pulcherrimus florum ergo male exponit tamquam de superlatiuo negatiue sumpto. Quinto sic ista est de superlatiuo beatus albertus est sanctissimus et tamen non potest exponi aliquo predictorum modorum in textu positorum. ergo quarta regula est insaficiens. minor probatur primo quia non potest exponi per tres exponentes sicut in textu satis patet nec potest exponi affirmatiue per duas. quia non sequitur albertus est beatus et sanctior omni alio eo quod plures fuerunt sanctiores eo nec etiam negatiue. quia non sequitur albertus est sanctus. ergo nullus est sanctior eo ergo etc. Ad primum dicitur Quod licet comparatiuus et superlatiuus non sint sincatlegreumata sufficit tamen quod equi pollent sincatlegreumatis in eis incluse. Ad secundum dicitur Quod ille comparatiuus non tenetur proprie sed abusiue ut dictum est in secundo notabili modo de eo sic accepto non datur tertia regula. Unde ista potest exponi sicut prius exposita est

Ad tertium dicitur Quod ista est de superlatiuo abusiue accepto de quo hic non intenditur quia comparationes de hoc modo non conceduntur nec a grammatico nec a loyco sed sunt incongrue. Ad quartum dicitur quod ista potest esse de superlatiuo affirmatiue et negatiue sumpto quia si forma secundum quod sit comparatio negatur de re excessa respectu rei excedentis tunc tenetur negatiue. sed si affirmatur de re excedente respectu rei exesse tunc tenetur affirmatiue. Ad quintum dicitur Quod superlatiuus ibi non tenetur proprie sed magis abusiue secundum modum dictum in notabili. Potest tamen ista et sibi similibus sic exponi. Albertus est sanctissimus id est albertus est valde sanctus sic quod non inquirunt plures exponentes ad sui expositionem sed de illa expositione magister Petrus hispanus non facit mentionem.

de differt et aliud.

Postquam autor determinauit de comparatiuo et superlatiuo quomodo exponuntur. Hic consequenter determinat de differt et aliud et de hoc signo diuersum et finaliter de illo signo totus. In primo determinat de exponentibus de differt et aliud et diuersum quod de toto quia differt et aliud solum conueniunt entibus quod ut dicitur. x. metha. Nec non ens ens nec ens non ens idem est quod tale illis attribui non potest. Totum vero attribui potest tam entibus quam non entibus ideo patet ordo. Sciendum primo Quod ad expositionem de differt siue sit affirmatiua siue negatiua tria requiruntur quia illud quod differt et verbum tenet differentiam